



Heinricus magna corporis & animi fortitudi-
 ne præditus fuit. Hunc Saxones qui Cimbrici
 Cheronesum inhabitabant, anno mundi 2930
 sibi regem elegerunt. Eo tempore apud Danos &
 Sueones regnabat Gram. Is regi Finnorū bellum
 inferens, elegantissimæ puellæ forma captus, eam
 sibi uxorem dari petiit, ac cum rege pacem iniit.
 Cum autem is contra Noruegios postea pugna-
 ret, Simblus Finnorum rex, sententiam mutauit,
 ac pulcherrimā filiam Heinrico Saxoni coniugem
 dedit. Huius enim uirtute confusus, facile se Danis
 restitutum sperabat. Verum cum regales nuptiæ
 pararentur, atq; Gram id cognouisset, illicò acces-
 sit, & per inuidias hunc Heinricum inter pocula interfecit. Itaq; postea Saxo-
 nes sese Noruegijs Danorum hostibus coniunxerunt, & aperto Marte Gram
 aggredientes eum interfecerunt. Hæc q; prima inter Germanos Saxonum
 mentio facta est. Ex quibus cognoscere licet Saxones, longo tempore ante
 Christum natum, Germaniæ incolas fuisse, nec tandem anno Christi 500, cum
 contra Irmenfredum Thuringiæ regē pugnarent, Theodorici regis Franco-
 rum uoluntate uictores in hostium loco confederunt. Verum hæc lectorum
 iudicio relinquimus. Sax. lib. 1. Crantz 1. Saxonía lib. 1. cap. 2.